

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Speculum Quaestionum moralium, in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen**

**Case, John**

**Francofurtum, 1597**

**VD16 C 1242**

Cap. IX. - An continens in recta ratione semper persistat[?] [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-109038](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109038)

*Distinctio.*

Temerarij incontinen- tes sunt mi- nus mali quam infir- mi, quia	}	Solùm ex affectu sine deliberatione peccant. Facilius ad pœnitentiam facti reue- cantur. Rariùs offendunt.
---	---	--

*Opp.*

*Incontinentes temerarij ex malicia sæpè offendunt  
ergo non solum ex affectu. Antecedens patet in Tarqui-  
nio, qui oppressit Lucretiam.*

*Resp.*

*Argumentum non sequitur, quia malicia inter af-  
fectus definitur.*

*Opp.*

*Incontinens peccat in omnibus omnium sensuum  
obiectis: ergo est peior intemperante, qui voluptatibus  
duorum sensuum obstringitur.*

*Resp.*

*Non in multitudine obiectorum, sed in magnitudi-  
ne excessus confislit comparatio.*

## CAP. IX.

*An continens in recta ratione semper persistat  
An pertinax semper in malo proposito se obfirmet?*

Continens  
& pertinax  
quomodo  
inter se dif-  
crepent.

**C**ONTINENS & pertinax in hoc  
vno conueniunt: quod in opi-  
nione vterque persistat: sed ille in bona  
hic



hic in mala & peruersa constare dicitur. Pertinax est enim tenax ppositi; & quāuis plerumque est indoctus & agrestis, à sua tamen sententia & falsa opinione ægrè distrahitur. Vt ergò se habet audax ad fortem, prodigus ad liberalem: ira se habet pertinax ad continētem hominem. Hinc concluditur, quòd pertinaces magis affines & cognati sint impotentibus quàm castis & moderatis viris, quorum est probè suadenti cedere & conuiere. Nam obfirmato animo sic adherere opinioni, vt ne Vlysse perorante exoreris pertinaçiam morum, non continētiā arguit. Sequitur iam alia cōclusio, quòd incontinens, paruus, aut intemperans non sit perpetuo dicendus qui voluptas tem expetit, sed is solum qui turpi & obscœna cupiditate ducitur: verbi causâ, in firmus stomacho vinum bibis, si ex moderato haustu sequatur ebrietas, inde intemperans dici nō debes: Ratio est, quia vinum nō propter dulcedinem vt ebrius, sed propter sanitatem vt infirmus sumpseris.



## Distinctio.

Continens & pertinax differunt, quia	}	Continens in bona, pertinax in mala opinione hæret.
		Continens facile rationem audit, perti- nax benè suadenti non optemperat.
		Continens in medio, pertinax in excelsu aut defectu consistit.

## Opp.

*Neoptolemus laudatur in textu, qui propter voluptatem eandemq; honestam non permansit in sententiâ, ergo cōtinens male desinitur is esse, qui semper inhonestâ sententiâ manet.*

## Resp.

Consideran- tur in conti- nente duo,	}	Intentio, quæ semper debet esse bona, ut fuit illa Noe, cum vinum biberit cu- ius vim antequã degustavit, scire nō potuit: vnde incontinens per accidēs non absolutè fuit.
		Actio quæ aliquando ex inevitabili ig- norantiâ nata incontinentē per acci- dēs non absolutè facit: hinc nō lauda- tur Neoptolemus, quia mētius, sed quæ mētius verum se dicere existimavit.

## CAP. X.

*An fieri possit, ut idem sit prudens & incontinens?  
An facilius incontinens ex consuetudine, quam in-  
continens ex natura curetur?*

Incontinens  
nequit esse  
prudens.

**A**NAXANDRIDES Satyricus ille  
poëta rectè incōtinentē civitati illi

COM-